

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars secunda, hoc est:
Solida, ad discendam & exercendam, ex evangeliis tam
dominicalibus quam festivalibus Christi & sui-ipsius
notitiam, informatio**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

In festo die visitationis Mariae

[urn:nbn:de:bsz:31-126164](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126164)

In festo die visitationis Mariæ.

Evangelium Luc. 1. v. 39. --- 56.

EXORDIUM.

Regum sapientissimus Salomo, habuit olim *frequentissimum Gynecæum*: fuerunt enim ei uxores quasi Principissa, septingentæ, & concubina trecentæ, 1. Reg. 11. v. 3.

Hæc in re Salomo æqueitatis lineas transcendit: Deus enim præceperat Regi, ne haberet uxores plurimas, ne recederet cor ejus, Deut. 17. v. 17. Sed minus ille id observavit: verum ubi scemellam elegantî formâ vidit, assumpsit sibi, dum septingentas Principissas, & concubinas trecentas comparaverit.

Posito verò, non plures in universum ei uxores fuisse, quàm centum & quadraginta, reliquas verò Gynecæum tantum implevisse, & ministerio aulico inserviisse, quem admodum adhuc hodie Imperatores & Reges Gynecæa instructissima habent, quod nonnulli inde colligere volunt, quia scriptum est: *Sexaginta sunt Regina, & octoginta concubina, & virginum non est numerus*, Cant. 6. v. 7. attamen & hac in parte modum excessisset, nec excusari posset. Ideoq; Siracides tale iudicium fert, quod gloriæ suæ maculam inusserit, Sir. 47. v. 21.

Verum ad cœlestem Salomonem, Dominum & Servatorem nostrum Jesum Christum optimè applicari potest, is feracissimum habet Gynecæum, in ecclesiâ in his terris; ad hoc pertinet, obediens Sara, 1. Pet. 3. v. 6. humana Rebecca, Gen. 26. v. 9. Fidelis Rahel, Gen. 32. v. 14. seqq. devota Miriam,

Exod. 15. v. 20. Diligens Ruth, Ruth. 2. v. 2. Benefica Sunamitis, 2. Reg. 4. v. 9. sapiens Abigail, 1. Sam. 25. v. 3. modesta Esther, Esth. 2. v. 7. heroina Judith, Judith. 8. v. 18. Constantis Maccabæa, 2. Maccab. 7. v. 20. in fide firmissima Cananæa, Matth. 25. v. 28. pia Lazari sorores, Maria & Martha, Luc. 10. v. 39. & quæ harum vestigiis insistant, quorum cultus non extrinsecus, in plicatura capillorum, 1. Petr. 3. v. 3. seqq.

Veluti autem Salomo sexaginta Reginas & octoginta concubinas aluit, & tamen ait: *Una est columba mea, perfecta mea*, Cant. 6. v. 7. 8. Ita virgo Maria meritò prærogativam habet, quia apud Deum gratiam invenit, & præ omnibus Regis & principibus virginibus in Judæa, mater Messie electa est. Ideo ait in Magnificat suo: *Respexit Deus humilitatem ancilla sua, ecce enim ex hoc beatâ me dicent omnes generationes &c.* sicut & Elisabêth initium fecit, ad eam dicens: *Benedicta tu es inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui*. Et iterum: *Beata es, quæ credidisti: quoniam perficientur, quæ dicta sunt tibi a Domino.*

Verum hinc nondum sequitur, quod divino cultu & veneratione illa prosequenda sit, sicut in Papatu fit: quo sine & festum hoc primitus institutum est: Hæc enim nefanda idololatria est. Nos potius in ecclesiis A. C. in Christi gloriam fe-

Bbb 3. stum.

Itum hoc celebramus, qui hodie quasi primam suam Epiphaniam in utero matris celebravit, ubi tanquam vera lux mundi, matrem suam beatissimam, Patruum Johannem, & cognatam Elisabetham illuminavit, ut omnes repleti Spiritu sancto fuerint, & Elisabeth gratulando, Johannes saltando, & Maria cantando id publicè ostenderint. Neque tamen B. Virginis Mariæ planè obliviscimur, sed commendamus virtutes ejus, eamq; aliis in Exemplum proponimus. Id majori illi gloriæ est, quam si in Papatu ad parietes picta, vel in processione circumlata divino cultu & veneratione afficiatur, & filio Servatori antepositatur, hoc enim ei tantum debetur, qui dicit: Ego Jehova, Esa. 42. v. 8.

Nos ad ipsum Evangelium transibimus, tractaturi ex eodem:

I. Ἄγγελος ἡμῶν, sive notitiam nostri.

II. Χριστογενεσίαν sive notitiam Christi.

J. J.

Exegetis.

IN prælecto Evangelio proponuntur nobis *duæ præcipuæ femine sexus personæ*, V. & N. T. quas Deus ipse tanti fecit, ut easdem per Archangelum Gabriel inviserit, ut supra communem naturæ cursum lætas puerperas & templa Spiritus sancti fecerit. Utraque enim prægnans est: *altera* sub corde portat benedictum illud mulieris semen, contritum caput serpentis, Genes. 3. v. 5. *altera* præcursorem Messia, Johannem Baptistam, cui Christus ipse postea testimonium perhibet, quod inter natos mulierum major non sit, Matth. 11. v. 11.

Ideo conventum hunc non parvi perdere, sed cogitare debemus, quod Spiritus sanctus hanc historiam in totius generis humani, præcipuè verò *coram mundo quidem despectarum, ac piarum matronarum honorem* consignari fecerit: ut hinc recordari debeant, quod divina Majestas eas non abjicere, sed omnitempore commendatissimas sibi habere velit, non enim apud ipsum masculorum aut feminarum est respectus, Gal. 3. v. 28. sed qui timet eum, & operatur justitiam, acceptus est ei, Act. 10. vers. 35.

Ad notitiam nostri hic deducemur, si spectemus:

I. *Maria peregrinationem.* Exurgens enim Maria in diebus illis, abiit in montana, cum festinatione, in civitatem Juda.

Aliàs in proverbio dicitur, quod virgines peregrinantes non magni æstimandæ veniant, facile enim sibi labeculam aliquam adspargere possunt, ut exemplum Dinæ probat, Gen. 34. v. 2.

Verùm B. Maria prægnantes suas itineris hujus suscepti causas habet, cui se accingit, non ex curiositate, sed ut fidem suam roboraret, ex exemplo agnatæ senioris Elisabethæ, de quâ Angelus dixerat, quod & ipsa conceperit filium in senectute suâ, quæ tamen hæcenus fuerit sterilis, ita ut naturaliter nulla proles ab ipsa speranda esset: Hinc incitata Maria iter hoc suscepit. Utrumque enim supra naturam erat, & quod ipsa sine viri congressu filium concipere & parere: & Elisabetha gravida esse deberet, quæ ab omnibus hæcenus sterilis habita fuerat. Hinc censebat, si hoc ita esset, se facilius credituram esse, in se quoque perfectum iri, quæ dicta sibi essent

sent à Domino. Fides enim velut candela est, quæ nisi oleo alatur, facile extingui potest, ideo Dominus nobis sacram cœnam, velut salutiferum aliquod alexipharmacum, ut eâ fidem roboremus ordinavit, hanc spernere non debemus, ne spernamus consilium Dei adversus nos ipsos, Luc. 7. v. 30.

Hic probent & examinent se virgines, an non quandoque ex curiositate, vel lascivâ deambulatum fuerint, & ad choreas encaniorum properaverint, ubi magis decesserit ipsas, ut domi mansissent, & rem familiarem curassent?

Id non raro accidit: mundus enim semper vitiosior evadit, & ut experientia probat, inveniuntur virgines, anmeretrices? quæ astute, inquietæ & impiæ sunt, cujus pedes in domo suâ non manent, nunc foris, nunc in plateis, nunc juxta angulos insidiantur, Prov. 7. v. 11. Verùm non raro accidit & illud: *Exiit Lucretia, rediit Helena.*

Quod si igitur Christianis virginibus fortè iter aliquod suscipiendum sit, *Maria conformet se:*

1. *Ratione propositi.* B. Maria cum cognata Elisabetha conferre volebat, de nuncio, quod ipsi Archangelus Gabriel attulerat, ut ita fidem suam roboraret. Ita nos ad ædem Domini recipiamus nos, ubi Deus voluntatem suam nobis manifestat, nullamq; occasionem negligamus, quâ fides nostra firmari possit, optimum quippe est, gratiâ stabiliri cor, Hebr. 13. v. 9.

2. *Ratione modi,* abiit enim in montana, *μὴ τὰ σπυδρῆς,* cum festinatione. Hæc egregia virtus est, quæ quidem omnes, fœmineum tamen sexum præ aliis ornat. Sic ut ostium vertitur in cardine suo: ita piger

in lectulo suo, Prov. 26, 14. qui verò vigilans & industrius est, laboris sui compendium sentiet, sicut exemplum Jacobi probat, qui pro fidelitate & diligentia suâ, ditatus est ultra modum, & habuit oves multas, ancillas, & servos, camelos & asinos, Gen. 30. v. ult.

3. *Ratione termini.* Abiit enim in montana in civitatem Juda: hæc civitas Sacerdotalis Hebron fuit, uti eruditi autumant, sicuti inter civitates Sacerdotales filiorum Juda expressè recensetur, Jos. 21. v. 11.

Ita loca suspecta adeunda minimè sunt, ubi ratione doctrinæ & vitæ periclitari possumus, vel salutis naufragium fieri potest, 1. Tim. 1. v. 19.

Qui igitur sincerus & sine offendiculo esse vult, is ad civitatem Dei conferat se, quæ est ecclesia, Psal. 46. v. 5. & fugiat omnia scandala, ne & ipse convertatur ad stultitiam, Psal. 85. v. 9. Perstat enim immotum: Cum bono bonus eris, & cum viro innocente innocens eris, cum puro purus eris, & cum perverso perverteris, Psal. 18. v. 26. 27.

II. *Elisabetha visitationem.* Et intravit domum Zachariæ, & salutavit Elisabeth: Hoc iter satis longum fuit, nempe triginta duarum horarum, ut Brocardus scripsit, qui ipse Palæstinam lustravit: attamen teneram hanc virgunculam non tædavit iter hoc instituere, in gratiam cognatæ Elisabethæ, idque per pedes, ut Evangelista indicat.

Aliàs familiare Judæis fuit, ut non modo masculi, sed & fœmellæ & virgines equitarent, si iter facere tenerentur. Rebecca insidebat camelo, cum sponsus Isaac ipsi obviaret, Gen. 24. v. 64.

Axa filia Caleb asino equitavit, Jud. 1. 14. ut &c.

ut & Abigail, 1. Sam. 17. v. 20. Salomo uxores suas in lecticâ portari curavit, Cant. 3. vers. 9. 10.

Iisdem commoditatibus digna fuisset præ aliis B. Maria Virgo: Verùm facultates ejus tantæ non fuerunt, ut asinum aut bigas sibi comparare, vel apud alios, mercede certâ conducere potuisset. Ideo in nomine Dei in pedes se conjicit, & superat omnes molestias, quas iter aliàs afferre solet, per caritatem, quâ cognatam suam amplectitur.

Hoc egregium exemplum est, cujus intuitu quilibet examinare se potest, utrum cor ejusmodi benevolam in invisendis amicis, & ipso actu ostenderit?

Multi enim obstinati inveniuntur Capricorni, qui aliorum ope se non indigere, adeoque nec, ut eos invisant, opus habere putant, hinc sæpè fit, ut proximi consanguinei, in civitate aliquâ, qui quidem propè sibi cohabitant, multis annis non conveniant, quid quæso facturi essent, si multa milliaria se jungerentur?

Hoc indecorum videtur. Amicorum enim est, se invicem quandoque intervifere & ita re ipsa demonstrare, quod amici sint.

Cum Alexander M. interrogaretur, ubi thesauros suos haberet? Amicos suos ostendit, eoq; indicavit, se pluris facere amicum, quàm aurum & argentum.

Nec perperam ille sensit: Amicus enim fidelis, protectio foris; qui invenit illum, invenit thesaurum. Sir. 6. v. 14. 15. exemplo sunt David & Jonathan, quorum animæ ita conglutinatae fuerunt, ut dilexerint se invicem, quasi animam suam, 1. Sam. 18. vers. 1.

Imitare hoc, & parem amicis & consanguineis benevolentiam exhibe;

1. *Visitando.* Id fecere Moses, Act 7. v. 23. Jethro, Exod. 18. v. 7. David, 1. Sam. 17. vers. 18.

Idem & nos faciamus oportet. Nisi enim id fiat, indicium est, quod non magnoperè nos invicem curemus. Quomodo verò fratres & consanguinei id aliquando excusabunt? Sanè quia in amicis nullam dilectionem probarunt, Dominus quoque ipsis amicitiam suam renunciabit, dicens: Non novi vos, Marc. 7. v. 3.

2. *Salutando,* salutavit enim Elisabeth. Hoc gentilibus quoque probatum est, id eò Cato ait: Saluta libenter. Quanto magis nos decebit, ut nos invicem salutemus osculo sancto, Rom. 16. v. 16. *Amica enim saluatio, non modo signum est benevolentia, quam nobis invicem exhibere tenemur, sed & fidelis precatio, quâ proximo optima quæque ab altissimo voventur, id eoque non frustranea erit, desiderium iustorum profectò bonum est, Proverb. 11. vers. 13.*

Abiit verò hypocrisis Ioabitica, 2. Sam. 20. v. 9. Nam in Christo Jesu veritas, Eph. 4. v. 21. Viri enim sanguinum, & dolosi, non dimidiabunt dies suos, Psalm. 55. vers. ult.

3. *Consultando.* Maria cum cognata seniore conferre vult, de angelico nuncio, & ejus consilio uti. Sic juniores non alta sapiant, Rom. 12. v. 16. sed seniores consulendo honorent, si dubiù aliquâ in re sint. In antiquis etenim est sapientia, & in multo tempore prudentia, Job. 12. v. 12. Hoc si Rehabeam fecisset, in Majestate Salomoni & Davidi par mansisset: quia verò reprobatò seniorum consilio, juniorum amplectebatur, experiri cogebatur, ut decem

cem tribus ab ipso desciscerent, 1. Reg. 14. vers. 8. seqq.

Quod si igitur in his tribus B. Mariam sequamur, & amicitiam colamus, ejusmodi opus facimus, quod Deo probatur, & hominibus, Sirac. 25. v. 1.

III. *Trimestrem commorationem.* Manfit enim Maria cum Elisabetha quasi mensibus tribus, & reversa est in domum suam.

Hinc apparet, quàm *grata & accepta* ibi fuerit, secus enim non tam diu perseverasset, sedulitate enim & benevolentia suâ omne fastidium exhaurit.

Aliàs noti sunt triti versiculi:

Post tres sæpè dies vilescit piscis &
hospes,

Ni sale conditus, vel sit specialis amicus.

Verùm B. Maria constanti benevolentia ibi tractata fuit, aliàs tam diu illam ibi non perseverasse, consentaneum est. Sed & procul dubio officii & observantia suâ hospites sibi devinxit, & cognata Elisabetha, quæ ob senectutem & vicinum partum rei familiari minus commodè præesse potuit, fidelem operam præstitit.

Hic virgines inspiciant & probent se, utrum & ipse, si fortè post obitum parentum, hospitio Procuratorum & consanguineorum utantur, labores subeant, & in re familiari administrandâ operam suam iis locent?

Sanè dignum est virginibus, ut officiosi sint, & matri in œconomia manum adjutricem præbeant, id enim quartum præceptum requirit, quod primum est (in alterâ tabulâ) in promissione, ut bene sit illis, & sint longævi super terram, qui illud observare studeant, Exod. 20. v. 12. Eph. 6. v. 1.

Verùm pauca inveniuntur: plurimæ di-

scunt circumire domos, verbosè & curiosè loquentes, quæ non oportet, 1. Tim. 5. v. 13. aut moliendo & comando se, tempus terunt, & laborem cane pejus & angue fugiat. Imprimis si procuratorum & consanguineorum epulis fruuntur, non putant convenire sibi, ut in laboribus adjutrices sint.

Sed meliorem laudem meretur *Rebecca*, quæ licet venustissima esset, & decora nimis, tamen non erubuit hydriam in scapula suâ portare & matri aquam ex fonte apportare, Gen. 24. v. 15. seqq.

Rachel filia Jacobi oves pavit, Gen. 29. v. 6. Quod & filia *Jethro* Sacerdotis Madian fecerunt, Exod. 2. v. 16.

Id Spiritus sanctus his virginibus ad æternam gloriam consignari voluit, ideò matres à juventute eas domus curam habere, docere debent, Tit. 2. v. 4. hoc per necessarium est: Adolefcens enim imbutus, juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea, Prov. 22. v. 6.

De Secundo.

TRansibimus nunc ad alteram partem, *Χριστοπροσίαν*, sive notitiam Christi meditaturi. Hic nobis contemplandus proponitur:

1. *Tanquam ventris Maria fructus*, ait enim Elisabeth: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui.

Hoc ipso confirmatur Articulus fidei, quem Apostoli simbolo suo inseruerunt, ubi unanimi consensu profiteamur, quod Christus Servator noster, *conceptus sit de Spiritu sancto, natus ex Mariâ virgine.* Hæc res magni momenti est. Quia enim omne, quicquid ex carne natum, caro est, nec pot-

Cccc

est

est introire regnum cœlorum, Joh. 3. v. 6. Ideo Spiritus sanctus in conceptione Servatoris virtutem suam exeruit, & guttas sanguineas, ex quibus humana Christi natura formanda fuit, in virginali utero Mariæ, ab omni macula carnalis impuritatis sanctificavit, ut Messias sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus concipi & nasci potuerit, sicut id ad salutem nobis necessarium fuit, Hebr. 7. v. 76.

Interea est & manet ille naturalis verus homo, & ut pueri communicaverunt carni & sanguini: ipse similiter participavit eisdem, Hebr. 2. v. 14. Qui id non credit, seductor est, 2. Joh. ep. v. 7. Rectè proinde Tertullianus. *Totum pondus Christiani nominis, videlicet mors Christi negatur, cum caro Christi negatur.* Nos ex animo lateamur, quod Servator noster non modò verus Deus, sed & verus homo est, *Fructus ventris Mariæ, qui ad liberandum genus humanum non horruit virginis uterum.*

Hoc magnum est mysterium. De conceptione sua ait Job, quod sicut lac mulserit se Deus, & sicut caseum se coagulaverit, Job. 10. v. 10.

Cum Christo quidem singulare quid accidit, quod sine congressu viri, in umbratione Spiritus sancti ex Maria virgine conceptus sit. Verùm quod reliquum est, formatus est ut alius infans. Novem menses in utero materno fuit, ut alius infans, iusto quoque tempore in lucem editus est, ut alius puerulus, *omnia in emolumentum nostrum.* Per hoc enim immundam conceptionem & nativitatem nostram sanctificavit, ut non amplius filii iræ, ut naturâ eramus, Ephes. 2. v. 3. sed filii Dei, hæredes Dei & cohæredes Christi simus, Rom. 8. v. 17.

Quando igitur piæ matronæ animadvertunt, quod se Deus benedictione conjugali affecerit, recordari debent, quod & Servator noster fructus ventris Mariæ factus sit, ideoque sibi fructum suum, commendatum habiturus sit. Non enim est voluntas ante patrem, qui in cœlis est, ut pereat unus de pusillis istis, Matth. 18. v. 14.

II. *Tanquam Maria & Elisabetha Dominus.* Illa enim ait: Magnificat anima mea Dominum, & exultavit spiritus meus in Deo salutari meo. Hæc verò adhuc clarius applicationem facit, inquires: Unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me.

Ita noster quoque Dominus est

1. *jure Creationis,* quia nos cum Patre & Spiritu sancto fecit populum, & oves pascuæ ejus, Psal. 100. v. 3. In principio namq; erat verbum, Joh. 1. v. 1. 3.

2. *jure Redemptionis.* Nos propter peccata fuimus sub potestate tenebrarum, Col. 3. v. 13. Hebr. 2. v. 15. sed Christus pretio nos emit magno, 1. Cor. 6. v. 20. non corruptibili auro & argento: sed pretioso sanguine, quasi agni immaculati, 1. Petr. 1. v. 18. ut iunus peculium ejus, servientes ipsi in iustitiâ & sanctitate, Luc. 1. v. 74.

3. *jure Sanctificationis.* Sicut enim Pater familiâs, quando servum conducit, eî arrham dat: sic & Dominus Spiritum sanctum effudit super Apostolos, Act. 1. v. 4. nosq; adhuc hodie eò signat, in diem redemptionis, Eph. 4. v. 30. ut non modò sciamus cui credamus, sed & certi simus, quod possit depositum nostrum custodire in diem illum, 2. Tim. 1. v. 12. Hinc vocatur ἀρραβὼν τῆς ἀληθοποιίας ἡμεῶν, Ephes. 1. vers. 14.

Hoc nomen majestaticum debetur ei,
eum

cum quoad divinam, tum quoad humanam naturam. Quoad divinam naturam *Dominus natus* est, coessentialis patri & Spiritui sancto, & coequalis in potentiâ, Majestate, & gloriâ. Ipse enim & pater unum sunt, Joh. 10. v. 30. Quoad humanam verò naturam *Dominus est factus*, ut Petrus testis est, Act. 2. v. 36. super omnia enim dominatur, Eph. 1. v. 22. etiam in medio inimicorum suorum, Psal. 110. v. 2.

Quomodo igitur aliàs terrenus Dominus obsequentes sibi servos diligit, & ab injuria tuetur; reliquos verò, qui obstinati sunt, punit & in ira dividit, Luc. 12. v. 42. seqq. Ita nomen hoc in nobis excitare debet:

1. *Confidentiam*. Gentes fremant, Reges terræ adsistant, & Principes consulant simul adversus Dominum, & adversus Christum ejus, Psal. 2. v. 1. 2. Nos à minis eorum minus metuemus, Dominus enim, cui nos servimus, facile ipsis resistet, millia millia ministrant ei, & decies centena millia adsistunt ei, Dan. 7. v. 10. Vindictam ejus omnes creaturæ exequi tenentur, Sir. 40. vers. 37.

2. *Providentiam*, quod si Dominus hic nos à peccato, morte, diabolo & inferno redimere, & in tutelam suam recipere debeat, nostrum erit videre, ut Dominus noster sit, sicut Maria & Elisabethæ in individuo eum sibi applicant. Hoc fit, quando verà fide eum apprehendimus, & meritum ejus nobis in specie applicamus, dicentes cum Thoma: Dominus meus, & Deus meus, Joh. 10. v. 28. fides enim est *mendicæ manus*, teste Gregorio, quâ Dominum hunc apprehendimus, ad exemplum Jacobi: Non dimittam te, nisi benedixeris

mihî, Gen. 32. v. 26. Ita nobis donabit, quod nobis acquisivit, oculi enim ejus respiciunt fidem, Jer. 5. v. 3.

3. *Reverentiam*. Filius enim honorat patrem suum, & servus Dominum suum, Mal. 1. v. 6.

Maria omnia beneficia sibi præstata, non sibi, sed Domino accepta refert. Alia mens filiis hujus seculi est, qui omnia arti & sapientiæ suæ adscribunt, adeoq; reti suo sacrificant, & thymiama adolent lagenæ suæ, Hab. 1. v. 16.

Notum est illud Adriani Papæ: *Trajectum plantavit, Lovanium rigavit, sed Caesar dedit incrementum*. Cui non immerito quidam subscripsit: *Hic Deus nihil fecit*.

Hoc adhuc hodie subiade in mundo fieri amat, ut homines ingrati Domini sui obliviscantur, cum tamen omne datum optimum, & omne bonum perfectum deorsum sit, Jac. 1. v. 17. Joh. 3. v. 27. ideo hanc temeritatem fugiamus oportet, oculos levantes in montes, unde venit nobis auxilium, Psal. 121. v. 1. dicentes cum Davide: Non nobis Domine, non nobis, Psal. 115. vers. 1.

III. *Tanquam infantium sanctificator optimus*. Exemplum habemus in Johanne Baptista, de quo Evangelista memorat, quamprimum vox salutationis Mariæ in auribus Elisabethæ facta est, quod exsultaverit infans in gaudio in utero ejus. *ἐκίθη* in Græco est, quod est subsaltavit, unde Nazianzenus salutationem hanc *ἐκίθη* vocat, quæ aliàs pueris in utero latentibus non convenit.

Septuaginta quidem interpretes hanc voce quoque utuntur, in Bibliis Græcanicis de duobus fratribus Jacob & Esau, qui col-

lisi sunt in utero, Gen. 25. v. 22. Verùm magno cum discrimine. Hic enim unus saltem saltat, ibi autem duo colliduntur: ibi significantur duo diversi populi, hic verò uno saltu excipitur ille Dominus, qui duas diversas gentes redunire, & parietem materix solvere debebat, qui dividit eas, Eph. 2. v. 14.

De Davide memoratur, quod *tripudiarerit totis viribus, coram Domino ante arcam fœderis*, cum illa è domo Obed-Edom in civitatem David translata est, 2. Sam. 6. v. 14. Sic & mulieres Israëliticæ *choreas dixerunt*, postquam David Goliathum prostraverat, 1. Sam. 18. v. 6. Sed hic peculiaris saltus indigitur, quem Johannes in utero edidit, *propter præsentiam Domini*, ut Lyra ait, cujus Prodigium esse debebat. Adveniente enim corpore, umbra cessare debebat, Col. 2. v. 17.

Quamvis igitur hoc non omnibus infantibus contingat: attamen ex hoc exemplo patet, quod *Deo impossibile non sit, fidem in infantibus operari*, qui adhuc in utero conclusi sunt, si fortè non vivi lucem intueantur, & à Baptismo prohibeantur, quem Christus lavacrum regenerationis instituit, non enim *privatio, sed conventus damnat*. Ideo Christus ait: Qui credit & baptizatur, salvatur, sed in altero Aphorismo baptismus omittitur: Qui verò non credit, condemnabitur, Marc. 16, 16.

Nonne *larro in cruce sine Baptismo juxta promissionem Christi in paradysum translatus est?* Luc. 23, 43.

Quot putatis infantes in V. T. mortuos, ante diem octavum, quo juxta Dei mandatum demum circumcidebantur, Gen. 17. v. 12. Quis verò eosdem damnabit? Potius David de filiolo suo ante

octavum diem defuncto, & incircumciso ait, quod vasurus sit ad eum, hinc constat, quod de salute ejusdem minimè ille dubitaverit, 2. Sam. 12. v. 18, 23.

Huc pertinent *pueruli Hebræorum*, quos Pharaon in aquas mittere & suffocari jussit, Exod. 1. v. 22. Item *pueruli illi, qui in deserto per quadraginta annos nati, & in itinere circumcisi non potuerunt*, quorum sine dubio multi occubuerunt, Jos. 5. v. 5. Confer, 1. Maccab. 1. v. 63. 2. Maccab. 6. vers. 10.

Quodsi igitur infantes Judæorum incircumcisi salvati sunt, licet Deus dixerit: Masculus, cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur, Gen. 17. v. 14. Nos pari ratione de infantibus Christianorum non baptizatis asseverare poterimus, qui nimirum baptismo ex necessitate privantur, quod hæreses salutis sint, licet Christus ait: Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c. Joh. 3. v. 3.

Deus enim non se, sed nos sacramentis adstrinxit, quin & extraordinariè fidem in infantibus operari potest, nec plasma suum perdere vult, Job. 10. vers. 8. Cum primis, quando *Christiani parentes, quo officii sui sunt, faciunt*, & foetum suum, quo à Deo benedicti sunt, fideli precatione Deo commendant, ibi sanè *impossibile est, filium tot lacrymarum perire*, ut Ambrosius de Augustino, per preces Matris Monicæ Deo tradito, dixit. Et si Christus fidem bajulatorum, qui paralyticum ad eum detulerunt, respexit, Matth. 9. vers. 2. Quidni magis fidem & orationem parentum? Omnia siquidem sanctificantur per orationem, 1. Timoth. 4. vers. 5.

Hoc

Hoc solatio confirmet se ipsi parentes, si forte à Deo hac cruce affligantur, nec dubitent, quin hæredes ex asse liberi sui sint æternæ salutis.

Caveant modo ne destinato consilio vel ex contemptu quicquam in ardua hac re negligant, & tota res erit in vado: quin potius infantes hos suos aliquando læti recuperabunt, ut cum iisdem imperterriti coram tri-

bunali Christi comparere & dicere possint: Ecce, ego & pueri, quos dedit mihi Dominus, Esa. 8. v. 18. & in æternum cum iisdem lætabuntur.

Id quod ita his parentibus concedere dignetur, Deus ter Opt. Max. per & propter Christum, Servatorem & Dominum nostrum, Amen.

* * *

In festo die Iacobi majoris Apostoli.

Evangelium Matth. 20. v. 20. --- 28.

EXORDIUM.

DE Rebecca refertur, quod illa valde sollicita fuerit, de filio suo Iacobo, eumque instruxerit, quomodo Esavum prævenire, ei-que benedictionem patris Isaac, quæ ipsi, velut primogenito conveniret, præripere deberet. Et tanto quidem fervore id egit, ut cum Jacob vereretur patrem fallere, illa dixerit: In me sit maledictio, fili mi, Gen. 27. 6. 13.

Exemplum est materni amoris & sollicitudinis, quale quoque habemus in prælecto Evangelio, hoc tamen cum discrimine, quod Rebecca voluntatem Dei pro fundamento habeat, & recordetur adhuc, quod Deus de gemellis ejus dixerat, cum adhuc prægnans esset, nempe, major serviet minori, Gen. 25. v. 23. Eo respiciens illa, Dei intentionem promovere satagebat, ne fieret, quod Isaac intenderet, sed ut impleretur verbum Domini, de quo manifestam promissionem habebat, quod minor majori præponendus foret.

Ex adverso vero, mater filiorum Zebedæi, locum superiorem sollicitabat in regno Christi terreno, quod falso opinabatur, eum erecturum esse, sine ejus mandato, imo contra voluntatem ejus. Subinde enim jam inculcaverat, filium hominis non venisse ministrari, sed ministrare, & dare animam suam redemptionem pro multis, Matth. 20. v. 28. Unde etiam, cum populus, quem miraculose cibaverat, rapere & Regem se facere vellet, honorem eum non acceptabat: sed fugiebat iterum in montem, ipse solus, Joh. 6. v. 15.

Utrique scæminea infirmitas conspicitur: quamvis enim Rebecca in eo non deliquerit, quod Jacobo, præ Esavo benedictionem paternam procuraverit: attamen modus procedendi iniquus est, potuisset enim alio modo rem instituere, & nihilo minus scopum suum obtinere, manifesta enim lex est: Ne mentiaris, nec decipias proximum tuum, Exod. 10. vers. 16. Mater vero filiorum Zebedæi in hoc aberrat, quod à

Cccc 3 Christi